



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Vers. 16. 17. 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

mediū quo scripturæ intelligerentur, nempe interpretatio Ecclesiæ. Hoc vetes illi vti sunt, & nobis quoque utendum est. Quod vero ait; *Scriptura sensus est ipsa scriptura*; etsi improprie dicatur, & putidæ argutiz sit; examinabo tamen. *Scriptura ipsa est scriptura*

Scriptura non est sensus.

sensus. Multiplex potest sententia. Prima: Vna scripturæ pars est alterius sensus: hoc est, continet significationem alterius partis. Hoc etsi crebro fit, non in omnibus tamen fit; non enim quæcunque ad religionis, & fidei dogmata pertinent, bis dicuntur. Altera: Scriptura id quod significat, id significat, ut cum dicitur, Deus vnus est. Hoc adeo clarum est, ut expositio aliunde non petatur. Hoc tamen modo si hæretici interpretentur; dicent vnum essentia, & persona. Ideoque concertationes oriuntur. Quod si tertiam adferant expositionem: Nempe scriptura secum adfert sensum, ut aliunde non sit petendus; hoc quoque anceps est, & quocunque sensu falsum: quod experientia tot interpretum demonstrat. Deinde ipse

Media cognoscenda scriptura.

Vorstius de mediis desperat. i. p. ad 6. sect. pag. 217. [Primum enim non dicimus, singula hæc media per se seorsim accepta, ad inuestigandum scripturæ sensum non sufficere: sed omnia simul coniuncta plurimum huc valere contendimus.] Omnia igitur media adhibenda sunt, & non tamen illa sufficientia dicere audent, sed plurimum valere. At tum sine paucissimorum est ea felicitas, vt legere scripturas & intelligere possint. Verba Vorstiana hoc conuincunt. *Hæc autem sunt media*; inquit Tesserad. i. Antipist. i. Inspecio fontium, seu cognitio originalium linguarum, & peculiarium scripturæ phrasum. Hæc necessaria ergo est omnibus scripturam intellecturis, omnia enim media sunt necessaria. Non igitur nisi Hebrææ, Chaldææ, Græcæ linguæ bene periti, & phrasum gnari, scripturam intelligunt. Frustra eam alia in lingua legunt, non enim illis constat, interpretem aut illos fontes penitus lustrasse, aut omnia vere retulisse. Cum enim toti Ecclesiæ scripturæ sensum exponenti non credant, quomodo Beza, Iunio, Tremellio, aliis credunt totam in alias linguas transferenti? Qui igitur eas linguas, earumque idiomata, & phrasas non calant, non recenti memoria tenent, non à fide dignis magistris didicerunt, & scripturam se intelligere iactant, eorum principis conuincuntur; hoc agere vt cum ratione insistant. Pergit ille. *Collatio locorum scripturæ, tum similium, tum dissimilium.* Hic quoque non alteri collatori, qui errare potuit, sed propriis oculis, ac menti credendum, certoque statuendum, nullum locum qui collationi necessarius fuerit, vel negligentia vel obliuione, vel ignorantia omisissim.

Hæretici scripturæ obscuræ.

3. Consideratio scopi, inquit, item occasionis, & circumstantiæ, siue materiæ cuique loco subiectæ. Parum ad rem facit consideratio. Certo constare tibi oportet scopum, occasionem, circumstantias, materias subiectas cognitās tibi penitusque perspectas esse: nec fieri posse, vt aliter illa se habeant; alioqui aliquo horum ignorato, falli in scripturæ sensu posses. Nemo igitur Calvinianorum scripturam intelligit, nisi illa omnia ita considerauerit, vt penitus per- uiderit.

Analogia.

4. Analogia indubitate fidei. At vero illa tam varia est, quam variæ fides, v. g. Fides indubitata est in Caluismo: Christum hominis damnati dolores pertulisse; ad hanc normam scripturas detorqueant; Hinc voces desperationis in cruce protulisse blasphemant. Analogia enim est, qua scripturam, & Spiritum sanctum in ea loquentem, sub magisterium suum cogere nituntur, vt nihil aliud dicere videatur, nisi quod anteoccupatis eorum opinionibus consentaneum videtur.

5. Denique seria ad Deum precatio, ex animo verita-

tiæ & gloria diuina studiose profecta. Hanc vel maxime nobis scriptura, & sancti Patres commendant. Hinc factum, vt multi sanctorum *prophetae* à Deo docti, citra laboriosa studia scripturarum cognitionem transierint. De hæreticis, & oratione eorum, nec ipsi tibi credere possunt: cum tot martyrum, confessorumque millia suis orationibus nihil impetrasse iudicent, omnes enim illos grauium errorum, aut plurimos sane acculant. Denique non possunt vnum e suis producere, in quem hæc omnia conuenire certi sint, nullum ergo tuto sequi possunt. Sibi igitur quisquis dicit, & auctor est, aliorum securus. Atque hoc est, quod de priuato spiritu, cum premuntur, iactare audent.

VERSUS 16. 17. 18.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo suo: & qui in agro non reuertatur tollere tunicam suam.

QVÆSTIO I.

Qua fuga persecutionis suadetur?

S. 1. QVANTÀ atrocitate seuituri sint Romani Domini præmonendo demonstrat. *Fugiant ad montes.* Syrus sua phrasi *ἄγαντες* ad montem. Montes quidem, & in illis posita oppida Titus expugnauit, & ante Vespasianus, vt Thabor, Garizim; sed alioquin Christus ad consuetudinem eorum, qui sunt in petculis constituti, qui auiam montium, & sylvarum incessa petunt, nec ad cultos montes, & in quibus oppida exstructa sunt fugere hortatur, sed in asperos & solos montes. Abulensis de montibus, in quibus Agrippa regnauit, is enim Romanorum amicus fuit, multique sub eo, sed non longo tempore defunctus sunt; Pellæ autem eius ditionis oppido Christiani tuerunt. Nam post obidionem, & fugam Cestianam Christi ani plerique, & Iudæorum nobiles de rebus rebellium male sperantes discesserunt. Vide Epiphan. hæres. 29. & 30. Euseb. lib. 3. c. 5.

S. 2. Versu 17. celeritatis admonet; audito enim aduentu exercitus, & occupato à seditionis templo, vetat eum, qui est in tecto (quod in Iudæa planum) descendere, vt auferat aliquid de domo, *ἀγαν* nō, vel vt alii *ἀγαν* nō, auferat aliquid. Græce *ἄγαν* & *ἀγαν* nō, super domum.

Et versu 18. eum qui est in agro non redire in urbem, ad accipiendam tunicam *τὴν ἰσχυρὰν*, quod alii pallium dicere malunt, alii legunt *τὴν ἰσχυρὰν* vestem, sine tunica, & pallio, leuiore, & breuiore vestitu ibitur in agrum. Fugere porro celeriter iubet, ne ab exercitu deprehendantur, quod Iudæis contigit; Itaque non assentior Tostato; qui negat requiri à Christo tam magnam festinationem: quod quamuis dici possit, ea tamen contigerunt, vt omni modo celeriter abeundum fuerit. Nam non minora, nec minora passi sunt à seditionis, quam ab Romanis, adeo vt Iudæorum 20000. indignitate rerum moti discesserint. Latronum princeps erat Geiora, Zelatarum Ioannes, alterius factionis Eleazarus, qui non nisi magna pecunia exitum permittebant. Deinde noluit Christianos decipi Dominus, vt Iudæi sunt in iudæam cogere nituntur, vt nihil aliud dicere videatur, nisi quod anteoccupatis eorum opinionibus consentaneum videtur.

fluant, & Trium illo anno firmandis imperii rebus operam daturus, nec ocium illis diebus belli inferendi, quam pace ingenti numero ad pascha celebrandum conuenirent, nihil profanatione templi, & tyrannide triplici, qua vrbs premebatur, deterrent. At Titus celerissime apparatu confecto, ad urbem aduolat, & 14. die Aprilis in monte oliuarum castra ponit, tantam multitudinem, supra vnderies centena millia, quasi indagine cingens; mirum autem est, id eum autem, cum iam alibi expertus esset Iudeos fortes, & mori oblinatos; videretque sibi dena castra paria opponi posse: sed Deus tantorum scelerum vindex Iudeos deseruit: Id magis admiror; Iudeos tantos apparatus, protectionemque non sensisse: quod ne Christianis contingeret tam serio fugam illis inculcari Dominus. Calamitatem adauget crudelitatis horre: recessione vers. 19. *Ve autem pregnantibus & nutrimentum.* Nec enim pregnantibus parcebant, ut illi 4. Regum 8. 12. Amos 1. 12. Et fugere illa non poterant, & gentium etiam lactantium se proles eulatu probebant, alia filios suos vorantur; ut fecunditas cantopere genti optata, versa fuerit in calamitatem. Monce etiam vt orent, ne hyeme, vel sabbato fuga fiat. Hyemis tempestas est in donea fugæ, sabbato impedit religio. Athanasius mystice interpretatur hyemem, *quæ peritiam, peccatum; Sabbatum expulsiorem, foris* certant, verum hoc mystice.

§. 3. Quare sabbati mentionem Christus fecerit: varie disputant. Nonnulli id factum, vt se Iudeis accommodaret, qui sabbatum seruabant. Alii vero Christianos in Iudæa, vsque ad templi excidium sabbatum custodiisse; idque ad scandalum vitandum, publicamque quietem, vt qui Iudeis magistatibus subessent. At vero in tanta necessitate, & periculo, sabbatis & fugere, & pugnare licuit, exemplo Macchabeorum. Quomodo igitur Christus sabbatum proponit, tanquam impedimentum fugæ? Nec puto Christianos obligatos fuisse, vt sabbatum cum periculo vitæ seruarent, ne Iudeis essent scandalum. Non enim ignorabant Iudei quid maiores fecissent prælio in Antiochum. Hoc igitur ad Christi verba intelligenda considerandum est. Christiani & Iudei omnibus sabbato licuisse fugere. Deinde tempore oblationis sabbato fugam fuisse difficillimam, ac periculosissimam, quemadmodum hyeme. Quod facile explico. Nam primo constat Christi tempore fuisse superstitionem sabbati obseruationem; qua ex Ch. isto creberrimis in entata est, cum manum attingere sanaret, demonem eiecisset, paralytico lectum portare imperaret, vsque adeo vt ob eam causam mortem illi machinarentur: nihil enim adeo populare videbatur, quam sabbati violari pœnas exigere. Hinc etiam Angustus eos sabbatis ad vadimonia præstanda cogi lege prohibuit, imo addit: *aut pridie sabbatorum festi horum noniam parasceus*: vt appareat legem à Iudeis conceptam fuisse, Ioseph. lib. 16. Ant. cap. 10. Valde autem eum diem coluisse constat ex historia quam recitat Synesius ad Euiopium de sua nauigatione. Cum, inquit, exorta tempestate, peracta esset dies parasceus, & decidens sole, Iudei qui nauis erant; sabbatum imhorrent: qui clauum tenebat, mox vt solem reliquisset terram coniecit, relicto clauo prostermit se, seque cuique calcantem exhibuit. Rati autem nauigantes id ex desperatione eum fecisse, omnes consternabantur: cum autem causam accepissent, quidam gladio euaginato necem eadem intendebant vt in opus incumberet: ille vero immobilis librum legebat leges, nec minus quam Machabeus aliquos mortem comminatum intemebat. Sicque tota nocte, cum sequenti die, vsque ad clauum noctis, sedit Iudeus otiosus; tunc vero sponte surrexit, & clauum omiffum recepit.

In summis etiam periculis eos sabbatum olim seruantes in Euang. Tom. I.

uasle constat ex Iosephi lib. 1. contra Apionem, Agatharchidem ille citat de Iudeis ista scribentem. *Qui vocantur Iudei, habitant omnium municissimam ciuitatem, quam vocat Hierosolymam provinciales solent; hi vacare consuevi sunt septima die, & neque arma portare in prædictis diebus, neque terra culturam contingere, neque alterius cuiuspiam curam habere patiuntur, sed in templis extendentes manus adorare vsque ad vesperam solui sunt.* Ingrescente vero in ciuitatem Ptolomæo Lago cum exercitu & multis hominibus, cum custodire debuerint ciuitatem, eis stultitiam obseruantibus provincia quidem Dominum suscepit amarissimum: lex vero manifestata est malam habere solennitatem. Huiusmodi autem casus, præter illos, alios quoque docuit vniuersos: *Ve tunc ad somnia & opiniones que tradebantur de lege consuevi, dum circa res necessarias ratio nihil valet humana.* Hoc quidem Agatharchides videtur esse ridiculum: eis autem qui hæc examinant integritas, apparet magnum, & præcipua laude dignissimum: *Si & saluti & patriæ quidem custodiam legum præstent, diuinam præponere concupiscant.*

Cum igitur Iosephus semigentilis, certe minus superstitiosus, hæc non reprehendat, constat sane alios in superstitionis sabbati obseruatione insanuisse.

His de sabbato constitutis, hoc etiam addendum; fuisse inter Iudeos tumultus, & omnibus in vrribus discordias; quod alii pacem, alii bellum cum Romanis suadebant, ideoque multos pacis amatores occisos, multos ad Romana castra profugos, eosque velut patriæ & legis proditores habitos. Iosephus lib. 4. belli cap. 5. *Seruiam inter belli & pacis amatores ait fuisse contentionem, omnibus in vrribus, corruptam iuuenum manum, non prudentium, &c.* Et exponit, Primo ante singuli indigentium prædare ceperunt; deinde ex composito, confecti cuneis per territorium latrocinantur. Deinde nulla erat grauior aut promptior accusatio, quam ad Romanos fugisse, aut cum illis collocatum esse, vt Iosephus exemplo Antipæ, Leuie, Raguelis ostendit, & deinde Anani, & cap. 6. clarum est ex oratione Simonis ducis Idumæorum. Ideo & lib. 5. cap. 1. nobilium illi duodecim millia interficiunt, & Concilium aduersus Zachariam conuocant. Ad Vespasianum multi Zelotas fugiendo veniebant: Iosephus lib. 5. belli cap. 2. *Erat autem fuga difficilis, quod omnes exitus custodibus obsidebantur. Etsi quis ibi qualibet ex causis deprehensus fuisset, velut ad Romanos ire cuperet, interficiebatur, qui tamen eis dedisset pecuniam, saluus abibat: & qui non dabat solus proditor habebatur. Restabas igitur pecuniosis fugam redimentibus, solos pauperes in singulis. Mortui vero per omnes vias coaceruabantur innumeri multig, etiam transfugere cupientium, rursus in ciuitate perire præcipiebant, nam spe sepulture in patria mori tolerabilius videbatur.*

Difficilis igitur fuga erat per agros. Nam Massadenses, omnem Iudæam, & alii populabantur, Iosephus lib. 5. cap. 3. Erant tamen qui clam effugerent, at postea cap. 9. omnem viam fugæ præclusam ait. Et lib. 1. cap. 1. Idem plane ostendit. Duobus igitur malis premebantur, & summa fugæ necessitate, & summa fugiendi difficultate.

Et cap. 9. obfessa iam vrbe, qui vel ymbra fugæ dedisset, mactabatur. Perinde autem habebatur fugere, aut ad Romanos desciscere; ac legem prodere. Iosephus in vita sua, de Iesu filio Saphiæ. *Is tum præferens Moysi tabulas in medium progressus: Si vestri, inquit, nulla cura tangimini, at sacratas hæc leges nolite contemnere; quas publico odio prosequendus Iosephus iste vester dux sustinuit prodere, quantum ui atroci pena dignissimus.*

Ex hisce facile est cognoscere, cur die sabbati fuerit periculosissima fuga. Cum enim sabbati cultus iam in summum adductus esset, si quis sabbato fugi: res aliquas colligeret, ferneretque, aut consuetio

longius iter faceret, tanquam violator sabbati accusabatur, & superstitionis quidem occasio dabatur, ut calumniarentur, eos fauere Romanis, ad gentium ritus transire, aut sane esse Christianos. Aliis diebus idem periculum non erat; nam commeabunt hinc inde homines, ut itineri quisque posset causam aliam habere, vel prætexere, sabbati profanati crimen, eo tempore impietatis, apostasie, prodigionis habebatur: Tyrannis autem & satellitibus optata faciendi causa offerebatur, ut quamvis illi omnia iura, legesque Dei pessumdarent, in sabbati tamen violatoribus puniendis se iustos, & religiosos esse monstrarent. Cum enim undique calumnias in contribules confingerent, sponte & vitro oblatas occasiones eos dimittisse de manu, nemo facile adducetur, ut credat. Non igitur impeditum erat iter sabbato, & fuga, ob religionem, vel conscientiam fugientium, aut scandalum Iudæorum: sed furorem populi supersticiosi, & infidias tyrannicorum satellitum, quibus causæ spiciose faciendi præbebatur. Quemadmodum si quem pascha aut pentecostes die opus facere Christiani videant, facile coniciunt eum religionem pacui facere, ita quoque, sed multo seuerius in sabbati neglectu Iudæi statuebant.

VERSVS 21.

Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet.

QVÆSTIO I.

Quenam illa tribulatio?

§. 1. **M**aior erit illa noua tribulatio, quam vetus, quæ Antiochi tempore Iudæos oppressit, ut Hilar. Deinde Tostatus etiam maiorem putat, quam ea quæ sub Antich. isto. Calamitates recenset Iosephus toto tractatu de bello Iudaico. In ipsa obsidione Metropolis occisa sunt vndecies centena millia, capta nonaginta septem millia. Quod si generaliter rem confideremus, plures Cæsar occidit. Nam in Galliis absque bellis ciuilibus numerum æquauit: Bello autem ciuili in Gallia, Italia, Hispania, in acie Pharsalica, deinde contra Scipionem, & Pompei liberos beligerans, non paucos perdidit. Captiuus eius multum superant Iudæorum mancipiorum numerum. Hæc vnus Iulius, at quam multos interim Pompeius, Crassus, alii imperatores, & proconsoles? Lucas futorem dicit tribulationem illam, cum Ierusalem circumdabitur ab exercitu, & esse dies ultionis, fore magnam pressuram in terra; ita & populo huic, & Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.

Hanc tribulationem S. Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 8. ad finem sæculi refert, ut etiam illud de refrigerante caritate. Ita Iren. lib. 5. cap. 29. Ambros. in Lucam. Et ratio ostendit. Nam Matthæus ait statim post tribulationem dierum istorum sol obscurabitur. Verbum autem *tribulatio* non conuenit designationi temporum, si post milles & sexcentos annos adhuc spacium, siue magnum, siue paruum superest; Christus enim loquitur more humano de temporibus, licet mille anni, imo centum annorum millia sint in conspectu eius, sicut dies vnus. In ratione tamen temporis usurpat calculum humanum; alioqui cum dicit breuiates dies, posset nihilo minus quispiam aliquot annorum millia sibi imaginari. Sic & Marcus connectit, c. 13. 24. Sed in illis diebus post tribulationem illam sol continebrabitur. Nondum sol est obscuratus, nondum luna defecit; interea tot Christianorum per orbem totum

millia occisa sunt, & grauius, & crudelius, quam sint tractati Iudæi. Nā ut illa quæ Iudæi fecerunt in Christianos taceamus, Neronianam persecutionem, & hortos illos ferales consideremus. Deinde Antichristi persecutio grauissima futura est, & generalissima; totam enim Ecclesiam opprimit, Apoc. 20. Vide Augustin. lib. 20. de ciuit. cap. 11. Hæc erit nouissima persecutio, nouissimo imminente iudicio, quam sancta Ecclesia toto orbe terrarum patietur, vniuersa scilicet ciuitas Christi, ad vniuersa diaboli ciuitate, quantacunque erit vtraque super terram. Tertio persecutio illa acerbissima futura est, ut nec emere, nec vendere quispiam possit, nisi habeat imaginem bestiarum.

§. 2. Oritur tamen ex Christi verbis difficultas. Non enim & de illa Titiana, & alia antichristiana dominus videtur posse loqui. Tribulatio enim hæc adeo magna est, ut alia maior aut par nec antecessit, nec secutura sit. Non fuit, inquit Matth. ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et Marc. 13. 19. Erunt enim illi illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creature, quam condidit Deus, vsque nunc, neque fient. Si igitur de Titiana clade intelligimus, ad tempora Antichristiana referre non possumus, cum patem dari neget Christus: si de persecutione Antichristiana, interpretamur; non possumus de Titiana; nam par præcessit; itaque vna tantum, vnius temporis est persecutio.

Vidit eam difficultatem Augustinus, & soluit, Epist. 80. ad Hefychium. Nam Iosephus qui Iudaicam scripsit historiam talia mala dicit illi populo tunc accidisse, ut non credibilia videantur. Vnde non immerito dictum est, talem tribulationem nec fuisse à creatura initio, nec futuram. Sed & si tempore Antichristi, talis aut maior forsenerit, intelligendum est de illo populo dictum, quod ei talis amplius futura non erit. Si enim Antichristum illi primitus & præcipue reperiunt, facturus est tunc idem populus tribulationem potius quam passurus. Euangelistas igitur de tribulatione Iudæorum locutos indicat Augustinus.

Non ergo maior fuit vnquam populi Iudæi tribulatio, nec erit, quam illa Titiana. Nec fuit maior Ecclesie Christi, nec erit, quam Antichristiana. Nec Iudæi populi, nec eius progenitorum, forte tamen aliarum gentium maiores fuerunt afflictiones. Atque hoc ipsum Lucas indicare videtur. Nempe de Iudæorum tribulationibus sermonem esse. Nam discere dicit. v. 26. Tunc scitote, quoniam appropinquauit desolatio eius. Et v. 23. *ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλῃ ἐπὶ τοῖς υἱοῖς, καὶ ἐπὶ ἐν τῷ λαῷ τῷ τῷ.* Erit enim pressura magna & ira populo huic. De solis Iudæis dicitur. Nam obliuiscimur tempore inter gentes non fuerunt illarum grandes calamitates. Sub initio enim Vespasiani imperii orbis, et si non omnino pacatus, solito tamen erat quietior. Comparatio igitur est inter Iudæos, qui bellum passi sunt, & eorum maiores & posteri. Maior vero Ecclesie totius erit afflictio tempore Antichristiano, tanta, quanta nec retro de cem persecutorum imperiis, nec sub aliorum tyrannide fuit. Hæc vero ad Antichristi tempora interpretes plerique deducunt.

§. 3. Cum hæc tenus illa publica, & vniuersali Ecclesie persecutio non fuerit, nondum etiam maximus ille mundi totius monothronus Antichristus rerum potitus est. Obstupui impudentiam Caluini, Bezae, Parei, Bredetodii, Poueli, Wittakeri, Rulli, Sileentis, Parei, Surluii, Sibrandi, Grolii Abbati, & aliorumque, qui persecutionibus illis se petros ab Antichristo seu Romano pontifice queruntur, cuius imperio, cum mille, vel octingentis, aut in nimum sexcentis annos tribuant, suas tamen Ecclesias ad centum annos extendere, non possunt, & quidem se ipsius interea mutata doctrina, vrin iubililo iubilum probant. Simul etiam alias ostendi plures Caluini, eos, honore, fortuna spoliatos ab hæreticis, quam i pontifici

Magna tribulationes.

Christus in temporum calculo vtiur more loquendi vtiato.